S

IN

PAULLUM PIROMALLIUM

SIDERNATEM

ARCHIEPISCOPUM NAXUANENSEM

ADOLESCENTULI

MICHAELIS ANGELI MACRII

POEMATIA

NEAPOLI MDCCCXXV.

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATICAE.

Publica Auctoritate.

Digitized by Google

Virtutem videant, intabescantque relicta.

Persius Sat. III, 38.

Digitized by Google

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO

IOSEPHO MARIAE PELLICANIO

EPISCOPO HIERACIENSI

MICHAEL ANGELUS MACRIUS IUNIOR.

Cum superiore anno, Amplissime atque Reverendissime Praesul, domi meae creber meis auribus obstreperet sermo de rebus praeclare gestis Piromallii, viri sane Apostolici, (huius enim vitam et acta colligenda, atque edenda susceperat inclytae tuae cathedralis ecclesiae Canonicus Michaël Angelus patruus meus) ea primum iuvenilem animum incessit cupido, ut experirer, num meae musae, tametsi vix puberes, de tanto viro auderent hiscere. Cum res ita successisset, ut mei laboris me non admodum poeniteret, hortari amici, atque urgere, ut typis committerem, quod initio styli unius exercendi gratia aggressus eram. Invitus quidem feci, ut iis obsequerer: obsecutus sum tamen. Edidi itaque Elegiam, atque Eclogam tanquam duas uno eodemque partu sorores, his quoque addidi in illos, qui de nostra Siderone detrahunt, Prosopopoeiam, voluique ut anteiret; quae quidem omnia, Vir amplissime, tibi dedico, tuamque in fidem trado. Tu vero, quae

tua est humanitas, si quis Aristarchus in eas acuat dentes, ab aetate tantum velim, excuses. Uno enim hoc nomine iis ignoscendum videtur. Vale, Vir excellentissime, meque manum tibi summa cum observantia exosculantem, amico, ut adhuc fecisti, oculo, respicere porro ne graveris.

Neapoli IV. Idus Ianuar. CIↃIↃCCCXXV.

Digitized by Google

SIDERO (1)

AB IMPERITIAE, ET RUSTICITATIS CRIMINATIONIBUS SE TUETUR.

PROSOPOPOEIA.

Ergo sic meritis respondent praemia? et ista
Heu! tantas curas dona parata manent?
Ergo perpetiar rudis, atque indocta vocari
Dum doceo natos, instituoque meos?
Insulsos patior, verum hic, quem fulgida fama
Illustrat, tamen hos fundit ab ore modos,
Ingerit et nobis, generi et convicia nostro,
Quod toto antiquum corpore rus oleam?
Quod semper gentem obscuram sim enixa, rudemque,
Nec caecis tenebras mentibus expulerim?
Sed mihi dic sodes, sapiens, (tu namque recentes
Callere, et veteres diceris historias:)
Non ego, quae, cultis qualis rosa amoena viretis,
Splendeo per natos facta superba meos?
Scisne almum pietate patrem, virtute magistrum,
Scis Piromallum? maximus ingenio,
Et fama hic celeber longinqui gentibus orbis
Quae spes, et nobis gloria quanta fuit?
Non is barbaricas penetrare expalluit oras
Ingenii ostendens lumina clara sui;

(1) Sidero, Sideronum, Sidernum, italice *Siderno*, oppidum haud ignobile in Bruttiis, prope Locros, atque adeo Hieracium, positum.

Curarum et quantum est passus, quantumque laborum,
Quo late efferret Relligionis opus?
Euphrates testis, testis sit clarus Hydaspes,
Quos dicunt cursus detinuisse suos.
Stelliolam huic addas decus indelebile; matri
Splendida namque fuit gloria, honorque suae:
Ille potestates herbarum, ususque latentes,
Astrorumque altum quam bene novit iter?
Quaeque ignota homini pandit, post funera quaeque
Scripta heu! fautores occuluere tui?
Huc quoque verte oculos: quavis ratione verendum,
Praeclarum cuius nomen in orbe sonat
Adspice Pollienum; quot cedro, et digna cupressu
Hic sophiae liquit quot monumenta suae?
Praetermitto alios, quorum prope sidera tangit,
Quorum usque in terris fama superstes erit:
Nunc quoque sunt quidam, at pudibunda modestia summa
Nos vetat exiguis facta referre modis.
At te, qui invidia pectus tabescis iniqua,
Quique putas doctos inter habere locum,
Ah! pudeat, pudeat verbis lacerare malignis,
Quorum obscurari gloria summa nequit;
Si sapis exemplar morum, vitaeque magistram
Discito, quam ignoras, temporis historiam.

ELEGIA.

Dum sola placidus Parnassi valle cubarem ,
Flaret et in campis occiduus Zephyrus ,
Qui tenues frondes , dubias motabat et umbras ,
Res veterum coepi dicere Romulidûm ;
Et Metium rapidis tractum in diversa quadrigis ,
Atilii , et Fabii grandia gesta ducum ;
Et regum infestis circumdata colla catenis ,
Et spolia invicto reddita opima Iovi ;
Cum me Calliope speculans e vertice montis ,
Talia subridens ore locuta mihi est :
Facta canis puer o , quae tot cecinere poëtae ,
Quos nulli cantu vincere posse datur ?
I bone , dum patruus Piromalli acta recenset ,
I Piromalli tu quoque gesta cane ;
Ingens ille fuit Siderni gloria quondam ,
Et fuit exemplum grande sacerdotii.
Vocibus his subito incaluit mihi pectus ab oestro ,
Et tantum coepi concelebrare virum.
Hunc didici usque pium longos vixisse per annos ,
Hostibus et Christi bella tulisse sui ;
Et petiisse loca Armeniaeque , Asiaeque remota ,
Spargentem veri dogmata sancta Dei ;
Nec timuisse feros, quos strinxit barbarus enses ,
Et quos haereseos strinxit iniqua manus.
Tunc subiere mihi qui carcer , quaeque catenae
Grata ministerio dona fuere suo :
Atque pares utinam sensissem ad carmina vires ,
Carmina ab imbelli non tenuanda lyra ,

Quae subiere mihi sparsissem cuncta per orbem ,
Nostri ut fulgeret gloria summa viri :
Dixissem ereptum vinclis ivisse per Indos ,
Persasque in spretae Relligionis opem ;
Et gentes peperisse Deo extremo orbe repostas
Exemplo , verbis , assiduaque prece ;
Et nullum fecisse modum curae, atque labori ,
Haereseos donec pelleret inde luem.
At quid ego referam , quae digno carmine forsan
Nec Maro , nec posset dicere Maeonides ?
Salve Paulle decus , spes maxima Paulle tuorum ,
Qui vivis placido Numinis in gremio :
Salve o Bruttiae honos , laus et clarissima terrae ,
Famaque ad extremum non obitura diem :
Fidus ades custos , et laeto munera vultu
Respice , quae noster nunc tibi sistit amor ;
Et tandem ut liceat nobis pertingere Olympum ,
Sis precor usque tui duxque comesque gregis.
Tu Sidernum etiam sis terque , quaterque beatum ,
Contigit hunc tantum cui genuisse virum ;
Gaude sorte tua , lauris et tempora vinctum ,
Hunc heroa tuum dic genuisse sinum ,
Nec tibi praeripiant tantum Besidiae (1) honorem ,
Ossa quod extincti terra ea condiderit (2).

---

(1) Vulgo *Bisignano*. V. *Mem. istor. crit. intorno alla vita e alle op. di Mons. F. P. Piromalli Domenicano Arciv. di Nassivan, scritte dal Can. M. A. Macrì*, p. 192.

(2) Vixit ann. plus minus LXXVI ; obiit III. Id. Iul. MDCLXVII, non IDCLXVII, ut in dicto Op. p. 213 typographus peccavit.

ECLOGA, CUI NOMEN DAPHNIS.

Meliboeus, et Tityrus.

Me. Tityre coge pecus, contristant aethera nimbi;
Gramina depastae sat sunt per rura capellae,
Sat capros hodie, sat pingues pavimus haedos.
Ti. O Meliboee, decet tua iussa capessere; namque
Tu natu maior, cunctisque peritior illis,
Qui sunt, quique fuere gregis, pecorisque magistri.
Me. Ibimus immixtas seu quercus inter, et ulmos,
Seu qua pampineo tollit se culmine collis,
Et nostrum Thyrsim crudeli morte peremptum,
Seu contra laeti pergrandia Daphnidis acta
Dicemus, nomenque suum tollemus ad astra.
At ruere e densis effusi nubibus imbres
Incipiunt, antro quidni subeamus opaco?
Aspice vicinum labrusca herbescit ut antrum.
Ti. Consilium laudo, o pecoris spes maxima nostri,
Praesentisque aevi pastorum grande levamen:
At Thyrsin silvas sat flevimus inter opacas,
Fudimus et moestas sat nostro ex ore querelas,
Nunc abeant tristes averso e pectore curae,
Et molles lacrymae: laeti successimus antro.
Heic Daphnin gracili laeti dicamus avena:
Incipe; Damoetas, Mopsusque alterna canentes,
Et Galatea simul rauca nos voce lacessunt,
Incipe, nostra dein tua verba alterna sequentur.
Me. Tityre, longaevi nos ut docuere parentes,
Semper pastores, et silvas Daphnis amavit,

Ac fuit assidue pastorum cara voluptas ;
Ipse rudem lata instituit colere arva colonum ,
Pastorem teneras bene pascere montibus agnas ,
Et quemcunque Deus iussisset ferre laborem ;
Nec minus edocuit cultum erga numen habendum ,
Et pietatem alere , a primis quae nutriit annis
Usque illum , teneros ceu blanda ovis ubere fetus;
Et si fata olim voluissent , usque manebat
Inter pastores , et silvas inter amicas
Daphnis ; sed simul ac gravior maturuit aetas
Hoc nemus , hos agros linquens , patriamque vocantem,
Extremas voluit mundi se ferre per oras ,
Et simul innumeris caput obiectare periclis.

Ti. At quae tanta fuit , quae vastum caussa per orbem
Impulit extremos Daphnin penetrare recessus ?

Me. Erga omnes amor unus , et ingens cura , salusque ,
Dogmata sancta Dei necnon vulgare per orbem ,
Omnes ut stygios possent sic spernere fluctus ,
Et vitae tandem caelestis tangere portum ;
Tartarus hinc horrens nequicquam saevit , et atrum
Insanis immugit adhuc clamoribus antrum.

Ti. Nunc equidem fateor me prorsus mente carere ,
Namque mihi haec olim puero , quum frigus acerbum
Lenirem ante focum , Boreasque exureret agros
Horrendo stridore fremens , dixisse parentes
Sat memini , e media permultos Daphnida morte
Abripuisse olim , simul et pastoribus aegris
Aeternam saepe , optatamque dedisse salutem.

Me. Ille decus silvis , ac vitae dulce levamen ,
Qualis sima lupos ovis aversatur inermis ,

Seu venatores cervus, qui fraude sequuntur,
Sic mala, sic prava ille est aspernatus, et ullus
Non unquam prave miscebat fanda nefandis;
Non blandae in silvis, illo vivente capellae,
Non armenta feros metuebant alba leones,
Nec damna addebat lupus insidiator ovili,
Sed iucunda quies, sed dulce levamen ubique,
Otiaque, et placidi tranquilla per otia somni.

Ti. Iure ergo Daphnis fama super aethere notus,
Montibus, ac laetis solamina dulcia campis
Attulit; o quondam pastores iure beati,
Qui meruere virum, regeret dum spiritus artus,
Affari, sanctasque recondere pectore voces;
Nec non o blandi pueri, castaeque puellae,
Et tu pertristis confecta aetate senectus
Felices semper, queis exhalantibus olim
Languentem vitam noctuque, diuque, nivali
Vel cum terra gelu, glacieque albesceret, usque
Succurrit Daphnis dum funeris hora veniret.
Vos testes fluvii, silvaeque, arbustaque opaca,
Quae tunc festive non prodere gaudia laetis
Non potuistis agris, cum ingens loca cuncta susurrus,
Et late insolitus petiit vaga sidera clamor;
Cum Daphnis, Daphnis clamavit ab arbore corvus,
Et cycnûm glomerata cohors, passimque vagantes
Montibus in nostris dixerunt voce columbae.

Me. Ergo iam Daphnis caelesti in sede locatus
Subdita cuncta sibi Caelo circumspicit alto,
Et laudes omnes, omnesque meretur honores,
Namque suam vitam crudeli exponere leto,

Proque aliis tantos voluit perferre labores.

Ti. O Meliboee utinam nunc mens mihi sana vigeret,
Dicere quam vellem tot grandia Daphnidis acta;
Sed iam turbato processit vesper Olympo,
Nox ruit, atque antri nimium cantantibus humor
Saepe solet gravis esse, ad nostra mapalia eamus,
Atque iterum calamo cras ista sequemur agresti.

Me. Ibimus, usque suum repetentes carmine nomen
Seu surgat Sol, seu Hesperias se tingat in undas.
At tu, quem summa evexere ad sidera, Daphni,
Et pietas, et pura fides, tu respice amicus
E Caelo has terras, atque haec armenta precamur;
Corpore cumque absis, tu nobis numine adesto,
Nec contemne preces, quas grato fundimus ore:
Ast apud augustum superumque, hominumque parentem
Fac ut ventorum rabies, saevaeque pruinae
Non laetas segetes, non gemmas vitis opimas,
Non pecora, aut teneras contagia dira capellas
Laedant; at semper per te flaventia rura
Rusticus aspectet, fructumque laboribus aequum
Colligat, et pastor fecundum divite prole
Aspiciat pecus, et meritos tibi reddat honores.
Nos hic interea laeti, dum vita manebit,
Ingenti studio tua clara exempla sequemur,
Et pergrato animo solemnia festa per agros
Reddemus, nomenque tuum non excidet unquam,
Nec tua pro nobis benefacta oblita manebunt.

FINIS.

VA1
1517676